Abt. 15
287

J. Engling
Historia fundationis
monasterii S. Willibrordi
in
Epternaco.
287

Archives nationales de Luxembourg (ANLux), SHL-Abt15-0287
PUBLIC DOMAIN

Historia

fundationis monasterii S. Clementis-Willibrordi in Epternaco.

* Syntagma epitomium seu brevis Deductio fundationis imperialis Monasterii s. Clementis Vuillibrordi in Epternaco.

Fundator monasterii Epternacensis extitit Sanctus Clemens Willibrordus, Anglosaxo, editus in lucem anno Incarnationis Dominicae 657 Vitaliani Papae tertio, Constantis imperatoris secundo, in Ripuensi provincia Northumbrorum territorio. Mater ejus Dicta fuit Morena, cui ante partum ejus Sanctitas futura per incrementa lunaria fuit revelata. Pater verò Wilgisus, qui terreni principatus fastigium spernens, in promontoriis Oceani et Humbri fluminis anachoretam in cella maritima S. Andreae duxit vitam, et non multò post Ecclesiam in honorem Dei Genitricis exstruens archimandritam egit, ubi etiam signis ac virtutibus gloriosus sepulturam accepit.....

*657 Nativ. Sti. Willibr.

Abbatatus S. Willibrordus Ecclesiae Ripensis fratribus erudiendus traditur, ubi per 12 annos, ad pedes SS. Egberti et Wigberti, profunda legis perscrutans didicit eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens aliquando evaderet exhortari in doctrinâ sanâ et impietatis monitiones destruere. *Sed jam breri chronologiâ acta S. Willibrordi prosequamur.

Anno Incarnationis Dominicae 690 Sergii Pontificis 3o., Justiniani Junioris 6o., Indictione 3a., Egberto Coenobii S. Columbani in Hiensi Insulâ Abbate impulsore, et tanta molis architecto, S. Willibrordus cum 12 asseclis pro conversione gentium ad Boreales Saxonum partes profectus est; secissque prospero cursu ad Gravelingam famosissimum olim Anglorum portum pernavigantibus, ipse moras passus, saxo quadrangulari insistens per medias procellas eos assecutus est.

*690 In Belgium venit.

15,287

Inde Ultrajectum sive Wiltorum urbem, olim Willaburgum, per ostia Rheni descendit, qui locus per ipsum divini verbi nomen exaultus, insignis extitit et foecundissimum Ecclesiasticorum virorum seminarium, inter quos post S. Willibrordum primum Archiepiscopum, celebriores sunt: Bonifacius, ejus discipulus, Gregorius, Fridericus, S. Wiberta, Echanus, Albricus, Friafridus, Bernulfus et alii.

*691 Romam arripuit iter.

Anno Incarnationis Dominicæ 691. S. Willibrordus iter Romam versus arripuit, atque ad Boreales reversus partes benedictione Sergii Pontificis, et Pipini Heristalli, cognomento Crassi, favore animatus, coepit fana idolorum ubique evertere, et non solùm apud Ultrajectinos, sed et circum jacentes regiones longè latèque rem christianam propagare.

692 Anno 692 Radbodo, rege Frisiorum, caso et expulso, Pipinus Ultrajectum occupat, eoque S. Willibrordum remittit, ibique in eodem loco, quo quondam S. Thomæ Apostoli templum à Nortmannis Danisque eversum steterat, aliud in honorem s. Martini aedificat, in quo postea 100 canobitas congregavit.

693 Anno 693 Ewaldi, discipuli s. Willibrordi, antiquam Saxoniam sive Westphaliam introeuntes à paganis martyrizantur. Et s. Willibrordus cum S.to Lamberto varia, quae ad orthodoxae fidei propagationem pertinent, confert consilia, Et Ultrajecti in honorem B. Virginis Mariae exstruit Ecclesiam non procul à ripâ Rheni, in quâ renativi fontis construxit baptisterium, ut Christifideles à Defensionem Castellani Trajectensis, à Pipino principe constituti, securum haberent accessum ad suscipiendum baptismatis sacramentum.

694 Anno 694 s. ~~Willibrordus~~ Wigbertus, s. Willibrordi Collega, in Fositlandiâ ~~Insula~~ idola destruens fortè monstratus, à Radbodo tyranno martyrizatur, s. Willibrordo cum ceteris asseclis divinâ providentiâ ab internecione liberatis.

695. Anno 695 s. Wibertus, discipulus s. Willibrordi, cum Marcellino et Werenfrido per Frisiam, Hollandiam et Fositlandiam (Amelandiam) praedicat et ingentem Barbarorum multitudinem ad fidem convertit. Deinde in Angliam et s. Wibertus vadit, et à s. Wilfrido, Mercorum antistite, episcopus consecratur.

*696 Anno 696 s. Willibrordus secundo Romam veniens, ~~secundo~~ haud sine praeviâ revelatione divinâ, à Sergio Pontifice in Archiepiscopum in Ecclesiâ et die S.te Martyris Caeciliae ordinatur, atque muneribus et reliquiis sanctorum donatus, in opus apostolicum regressus, non multò post coenobium B. Mariae Virginis ad Martyres, ad ripam Mosellae propè Trevirum (ad annum 697) exstruxit. Eodem tempore, quo s. Willibrordus in urbe degit, familiariter agit cum s. Wilfrido Eboracensi et s. Huberto.

*(718) * Annales Trev. ita habent: S. Willibrordus Tum Trevirensem invasit Ecclesiam, ex commissione extra eadem martyrum, quae sub manibus Trevirorum ad Mosellae ripam à Batavis incolitur, in martyrum formam redigit, multis ornamentis eorum illum condecorat. Ostenditur istic vitrea vel subsentilis ara cum hac inscriptione: „Hoc altare Willibrordus in honorem Salvatoris dedicavit super quod in itinere missarum offerre consueverat, in quo et continetur de ligno cruciis et capitis ejus. Asservatur ibidem vestis candida B. Willibrordo data ad annum 7. 697

Anno 697 s. Willibrordo ex Italiâ reduci occurrit s. Wibertus cum Clericis et discipulis usque Embricam (ubi hostia ab ipso consecrata asservatur). S. Willibrordus Trajecti cathedralem Ecclesiam una cum s. Wiberto consecrat, et synodo habitâ in diversas regiones Evangelicos mittit praedicatores. Et circa idem tempus propè Trevirum monasterium supradictum B. Mariae Virginis exstruxit.

698 Anno 698 Monasterium Epternacum, sive ut Alcuinus, praeceptor Caroli Magni, Abternacum, vel ut Regino in Chronico et Eckehardus Altimontensis in vitâ s. Toppionis Asternacum *) ad fluvium Suram, in pago sive districtu Bedensi, sub legibus s. Benedicti condidit, maximè adjutus vectigalibus Pipini Ducis, Majoris domûs, et conjugis ejus Plectrudis, reconon munificentiâ s. Irminae Dagberti regis Austrasiorum filiae, primae in Horrensi Parthenone Abbatissae. ‖ Huic operi non parum adjumento fuere SS. Bassinus et Luitrinus, (stiam Trevirorum Archiepiscopus), quorum consilio s. Irmina pia Desideria s. Willibrordi omni liberalitatis genere expaverire satagens largas possessiones ei (eam) transcripsit, ‡ (Plura de fundatione hujus monasterii, vide in fine, et de donationibus.)

*) Feliciam sese ratam, si quidquid hujus glebae aspitique, propter quam tot bella gerunturi, possideret, non parvè cum Deo partiretur. Reperiendae quoque gratiae et acceptè beneficii sese obtulit occasio, cum sanctus Antistes contagiosam epidemiae luem, ex coenobio Horrensi, suis sacrificiis et aqua benedicta lustratione propulsavit.

Familiares exstitere s. Willibrordo Dd. Vide pag. 14.

‡ Dans une lettre datée de Louvain du 14 Mai 1478, Charles, Duc de Bourgogne nomme la même ville Esternac. v. Publiz. de la Société Dg. III, p. 145.

Eodem anno s. Willibrordus Radbodam adivit, sed ab impiissimo Idololatrâ rejectus, in Daniam ad regem ungendum pergit, et trigenos pueros

catechizatos ad Francorum ditionem secum avehit, et Friscam in reditu diversis Calesiis ornat. Testem Treveris in coenobio Florrensi suis sacrificiis et aquae benedictae lustratione fugat, et parochiam s. Paulo sacram rogatu s. Irminae dedicat. S. Irmina donat Oxweiller, quae est Maioria.

699 Anno 699 s. Willibrordus capat s. Sebastiani cum sagittâ in coenobio Epternacensi locat, et villam Earle, quae una est ex quatuor Maioriis quae possidet Epternac. ad fluvium Prumiam sitam, ab illustri viro Wicharto sibi traditam solemni testamenti praescriptione consignat. S. Irmina donat villam montis.

700 Anno 700 Wulfrannus, Episcopus Senonensis, s. Willibrordo in praedicatione adjutor accedit, et Radbodi regis filius baptizatur, qui adhuc in albis positus, mundus, ut creditur, transivit e mundo. Radbodus penè nomen Christo daturus, etiam pedem alterum in lavacrum missurus, à proposito resilit.

701 Anno 701 Flyrena, Dea sacrata, et Attala atque Crotelindis dant s. Willibrordo possessionem suam in villis Gabrefaio et Bedeleingâ. S. Willibrordus et Irvibertus in propagandâ apud Frisios fide ab avo s. Eugeri, Wirfingo, multum adjuvantur.

702 Anno 702 Vivas, Vetorum episcopus, s. Willibrordo adjutorus accedit, cui Pipinus, detractis calceis, peccata sua confiteri est solitus.

703 Anno 703 s. Landrada, s. Willibrordo olim devotissima, colitur.

704 Anno 704 Hedenus, dux Orientalium Francorum, multas haereditates legat s. Willibrordo in Armestat, Merchorne et castello Müllenberg. Engilbaldus donat Wäderlo; S. Irmina Steinheim, quae est pagus spectans ad praeposituram Epternacensem. S. Bonifacius (magnus Germanorum futurus Apostolus) sub tirocinium s. Willibrordi venit.

705 Anno 705 s. Irvibertus, discipulus s. Willibrordi, quemdam à malo daemone liberat.

706 Anno 706. Pipinus Crassus donat meditatem fisci Epternacensis in ducatu Luxemburgensi.

707 Anno 707 multa miracula s. Willibrordus patrat: Fontem dulcissimi saporis in terra salsuginis excitat;

Hibernos pauperes potat lagenâ nullam diminutionem patiente. (Nota: quod Ulinsengae in Hollandiâ asservatur adhuc unus flasco de quatuor istis, quibus 70 viros satiavit.)

Anno 708 s. Irvibertus vicum Uverdam à Pipino impetrat, ibique monasterium condit. 708

Anno 709 s. Lamberti translationi per s. Hubertum factae interest s. Willibrordus. Acca, s. Willibrordi discipulus, Coelestina et succedit s. Wilfrido, Havelstadiensi et Eboracensi episcopo. Engilbertus donat s. Willibrordo Alpheim in Teccandriâ et villam Buura in Testerlandiâ. 709

Anno 710. S. Irmina moritur. Berlindis, Deo sacrata, dat s. Willibrordo villas Hockeskant, Hulislaum, et Hesfordum. 710

Anno 711 moritur Werenfridus, s. Willibrordi in praedicatione Evangelii cooperator et Albia Saxonum fundator. Cui s. Willibrordus pagum Elst, à Carolo Martello sibi traditum, commendaverat. 711

Anno 712 Engilbertus donat s. Willibrordo villas Everbo et Deolme, et Anstaldus * Diesne et Legestan. 712

Anno 713. Bertha, Deo sacrata, et filii ejus Chardradus et Herbertus dant s. Willibrordo villam Crencha-villare in pago Bedensi. * Schmontzides. 713

Anno 714 Pipinus moritur, et paulo ~~post~~ ante obitum dant s. Willibrordo in Transmosanis villam Maestram, in quâ coenobium extruit; sed nunc est collegium nobile Canonicorum. 714

Anno 715 Hadenus dat s. Willibrordo castrum Hasmulo super fluvio Sala in pago Saluense, quod ille convertit in claustrum. 715

Anno 716. Arnulfus dux, filius Drogonis, dat s. Willibrordo castrum Bollenorff ad fluvium Suram, unam ex quatuor Maioriis, quam donationem confirmavit Carolus Martellus anno Chotharii regis primo. 716

Anno 717 moritur s. Irvibertus, cujus anima in horâ exitus apparet, s. Willibrordus et cujus exequias unâ cum sancto Willeico Marcellino celebrat. Inde Udalchriam pergens et idola destruens a custode delubri percutitur gladio illaesus. 717

718. Anno 718 visitat coenobium Epternacense, ubi baculum suum in dolium immittens pene vacuum ita vino replet, ut exundaret et pavimentum madefaceret. (N. B. Idem baculus Epternaci asservatur.)

719 Anno 719 Bonifacius pro habitâ S. Willibrordi benedictione Urbem adit et à Gregorio 2do Apostolico munere insigniter, et redeunti Episcopatum suum S. Willibrordus offert, sed ille recusat.

720 Anno 720 S. Willibrordus interest synodo Leodiensi; Visitat coenobium Suestranum, et dum in itinere per procuratorem agelli angariatur, repentinâ morte impius concidit.

721 Anno 721 S. Willibrordus Pipinum, Caroli Martelli filium, sacro fonte abluit, multa praeconia et triumphos tanta sobolis praenuntians. Ebroinus Comes multa praedia ad Basilicam Apostolorum Petri et Pauli in Ducatu Clivensi in Rhinarum, in pago Dublensi super Rheno exstructam confert, necnon Ecclesiam B. Virginis in Mullingen eidem subjicit. Henricus filius Boderson, multa bona dat S. Willibrordo ad Basilicam S. Lambertii Episcopi et Martyris quam ## consecrarat in Baclaos.

722 Anno 722 Ecclesia Saxonum mare per S. Bonifacium propagatur. Carolus Martellus S. Willibrordo multa jura Trajecti largitur et dat ei Ecclesiam Vesaliensem et pagum Rheinheimensem.

723 Anno 723 per S. Willibrordum elevatur corpus S. Eunerae Virginis et Martyris ad oppidum Rhenense. Sanctus Plebelinus, discipulus S. Willibrordi, fit Episcopus Candidae Casae.

724 Anno 724 S. Bonifacius Thuringiam et Hassiam verbo verbi Divini excolit.

725 Anno 725 S. Bonifacius Adalbertum Haerasiae Ducem convertit. Et eidem S. Willibrordus cooperatores verbi Dni addit.

726 Anno 726 Pavekingus donat Ecclesiam Antverpiensem S. Willibrordo. Testamentum S. Willibrordus condit, et plurima bona monasterio Epternacensi legat.

727 Anno 727 obiit S. Willeracus, sancti Willibrordi discipulus; item S. Hubertus, S. Willibrordo familiaris, Fuae apud Bruxellas.

728 Anno 728 floreant in Germaniâ SS. Wilibaldus, Cistercensis, Winibaldus, Ratisbonensis et Waltburgis ex discipulatu S. Willibrordi.

729 Anno 729 S. Liberius Aspinicendvita vitâ fungitur, cujus magisterio se dedit S. Willibrordus anno 677.

730 Anno 730 S. Adalbertus egregiam S. Willibrordo praestat operam in conversione Infidelium.

731 Anno 731 S. Willibrordus et Raginfragas, Episcopus Coloniensis, quarumdam villarum et mancipiorum permutationes faciunt.

732 Anno 732 vigit S. Amalberga, S. Willibrordi discipula, quae per eum et S. Gertrudem legitur velata. Floreant quoque S. Herlindis, et soror ejus Relindis sive Renula, spirituales ejus filiae.

733 Anno 733. S. Willibrordus senex et grandaeves utitur operâ Coepiscopi sive Suffraganei.

734 Anno 734. S. Willibrordus Nosocomium Epternaci erigit, et 12 pauperes ad exemplum Christi instituit.

735 Anno 735 florent Lebuinus et Marcellinus, discipuli S. Willibrordi.

736 Anno 736 caput S. Osualdi S. Willibrordus Epternacum defert.

737 Anno 737 S. Wiho, Frisius, sub S. Willibrordi magisterio fundamenta doctrinae christianae jecit, postea factus Episcopus primus Osnaburgensis. Item memorat Venerabilis Beda, S. Willibrordi Encomiastes.

738 Anno 738 S. Willibrordus octogenarius praedicationi et curis episcopalibus perseveranter insistit. S. Bonifacius Bavariam Bavoniam in 4 Episcopatus partitur.

739 Anno 739. decedit S. Willibrordus, (aetatis suae 82.) innumeris miraculis clarus tam in vitâ quam post mortem. Ejus rei indicia superfuisse ait Theofridus pro foribus aedium suspensa vincula ferrea, compedes, manicas ac captivorum insignia, Nec non languentium baculos, vehicula, currus, cunas et similia. Denique cerae tantum in diversas membrorum formas effictae, quantum via fortium boum par asperet. Vitam ejus et laudes scripsere venerabilis Beda, Alcuinus, Caroli Magni praeceptor, Theofridus Abbas Eptern., Servatius Sedicalius Agrippinas, Radbodus Frisius Radbodi Regis Frisiorum pronepos, Episcopus Ultrajectinus, Marcellinus ejus discipulus et futurae vitae S. Wilbertina scriptor,

qui diuturnè exstare Ultrajecti, Scotus quidam anonymus, qui per Alcuinum correctus, primus hanc scribendi provinciam susceperat. Agunt de eodem martyrologium Romanum cum Baronio et Usone, Molanus in additione ad Usuardum, et in natalitiis SS. Belgii Gallicus Miraeus Mauricius et Felix Cratepolius de episcopis Germaniae, Trithemius de viris illustribus Ord. S. Benedicti l. 3 c. 137 et lib. 4. c. 67., Cornelius Kempius de origine Frisiorum lib. 3. c. 22, Adrianus Barlandus de episcopis Trajectensibus, Gerardus Noviomagus in catalogo eorundem, Guilhelmus Heda in Historiâ Episcoporum Ultrajectinorum, Gofredus Petri, Joannes Becanus in Annalibus veterum episcoporum Ultrajectensium et Comitum Hollandiae.

Celeberrimus S. Willibrordi cultus est Epternaci, et ex longinquis regionibus crebra visitatio, maximè etiam antequam haeretica lues in Belgio serperet in diocesi Ultrajectinâ. Colitur etiamnum devotissimè (omitto alia loca) in campestri Brabantiâ, quam doctrinâ illustravit, vel templis vel sacellis, vel aris ejus nomini dicatis, ut in Alpheim quondam ejus peculio Heswick, Olmen, Easter, Middelbeck, Beckel, Moll, Oolen, Castel Wijk, et aliis plurimis locis. Omnium autem celeberrimè in Diessen ejus etiamnum patrimonio, nunc coenobio Tungerloensi Ord. Praemonstratensis, ubi maximus hominum concursus, et per totum annum visitationes et oblationes, Deo per sanctum suum crebras sanitates operante. Abbatiae veteris Epternacensis cum opes et magnificentia tum religio et fama in immensum caluerat. Et Abbas non modo rerum Luxemburgensi in agro, sed et intimis Bataviae Schaldisque recessibus praesertim apud Wilitros sive Helandos potitus est: Beato Willibrordo terras illas omnes a profano Deorum cultu repurgante.

(Compine)

Erat quoque antiquitus tota Theodorici tam potens monasterium, ut haberet ejus loci Abbas sub se 30 arces vicini Ducatûs Luxemburgensis, omnes videlicet, excepto illo metropolitico Luxemburgico, quod in S. Maximini Trevirensis fundo olim fuisse legitur. Non modicum etiam incrementum regnum Austrasiae sive Lotharingiae ex

bonis Ecclesiae Epternacensis sumpsit; nam ex ejus praediis et possessionibus Arnoldo imperatori septingenti septuaginta septem mansi cessêre, ita ut non solum Ducatus Luciliburgicus, sed et Brabanticus et Gueldriensis Comitatus quoque Flandriae et Hollandiae nobiliter inde ditati fuerint.

Extat quoque privilegium ejusdem Henrici 2di Imperatoris Cal. Decemb. anno 1023 datum Maximiani Moguntiae, quo utrumque Abbatem Maximinianum et Willibrordinum servitiis imperii eximit, et confirmavit, ne Abbates dicti militiam tam palatinam ~~tam bellicam~~ quam ~~tractam~~ sequerentur. Sed plura utriusque coenobii bona Henrico Duci Bavariae filio Sigefridi primi comitis Luxemburgensis, Ottoni palatino Comiti, necnon Ottoni comiti infeudavit, et ea lege in beneficium dedit, ut ipsi loco Abbatum curiam regalem petant, et in expeditionem eant, Abbates vero praediis omnino liberi sint, nisi in urbibus Moguntiensi, Coloniensi aut Metensi, idque nonnisi magnâ necessitate cogente, ad comitia generalia fuerint invitati. In quem finem Arnoldo Abbas Epternacensis cessit imperio ~~6 millia sexcentos~~ 777 mansus, Henricho verò Abbas Maximinianus 50 mansos, id est secundum sex mille sexcentos jurisconsultos quantum 13 millibus 200 bobus uno duodecim anno arare potest, seu quod idem est, jugera quadringentaes viginti octies mille nongenta octoginta quatuor.

Hac lege DD. Abbates omni servitio et biennali contributione eximerentur et si quando curiam peterent evocati vel ultro tam mensa imp. viverent et non expensis monasteriorum, ut videre est in Scriptis Henrici III de anno 1044 et Henrici quarti de anno 1056. Addidit insuper S. Henricus de anno 1023 et sancivit ne quis successorum Regum seu Imperatorum servitium ullum Abbatibus olim praestandum in periculum animarum ulteriùs exigant, nisi ea bona quae inde distribuerunt, reddant aut restituant. Insuper si quis fortasis illorum aut filii filiarum illorum, quibus bona DD. monasteriorum sunt commodata, sine haeredibus decedant, beneficia quae à DD. Abbatibus transbrevisa sunt, ad monasteria redeant. Hanc S. Henrici dispositionem confirmarunt Conradus Salicus de anno 1026, Henricus V de anno 1112, Friderius Barbarossa 1182 et Leo Papa 1051.

Vide in fine!

Non sileo litteris memoriâque dignum quod anno 8. Clodovei tertii regis Francorum Robingus, vir illustris et Marchio Antverpiensis cum conjuge Bebelinâ Sancto Willibrordo, Basilicam à S. Amando infra Andoverpa castellum super fluvium Schaldam exstructam cum amplissimis fundis et possessionibus contulerit, ut patet ex ipso S. Willibrordi testamento. Est verò nobile hoc monasterium in ipsius Ordinis Benedictini per Germaniam primordiis fundatum, ex quo veluti ex equo Trojano multi vitae sanctimonia, dignitate et doctrinâ viri celeres prodiêre.

Fuit enim Episcoporum quasi seminarium qui ad diversas cathedrales ecclesias assumpti greges sibi commissos verbo et exemplo ad satietatem usque paverunt. Inter quos fuêre Willehadus Bremensis, Beonradus Senonensis, Aligandus incerta

sedis Anglicanæ Archipræsul, Sigoaldus, Spoletanus, Thietgaudus, Hettinus, Radbodus, Trevirenses. Item Flatto et alii, qui bonis operationibus nomen sibi æternum promeruêre. Doctrinâ quoque celebres extiterunt Theofridus, Theodoricus Honcus, Bertelais et alii qui varia condiderunt opuscula nomen suum posteritati tradiderunt. Commendat in cœnobium monasterium præter alia regum et principum anathemata, Beati Willibrordi augustum pignus, beatorum martyrum Osvaldi et Sebastiani capita; visitur quoque ibidem ~~item ejusdem~~ S. Sebastiani sagitta sanguine respersa, quâ transverberatus fuit. Visitur ibidem cœrea 364 librarum, quam anno Dni 1512 Maximilianus Imperator eidem S. Sebastiano solemni voto cum singulari pietatis devotione obtulit. Fons etiam perennis aquæ juxtà cœnobium scaturiens pellendis morbis efficax, quem S. Willibrordus frequentavit et consecravit singulari vitæ ~~suæ~~ sanctimoniâ.

Hæc est primæva fundatio Abbatiæ Epternacensis, quæ successu temporis facta est consistorialis et singulare Imperii membrum. Et sicut in temporalibus soli Imperatori, ità in spiritualibus immediatè summo Pontifici subjacet. Regalia prælatus à Cæsare accipit, usum habet pontificalium, jusque ~~cudendi~~ cudendi monetam obtinuit. Oppidum Epternacum legibus suis moderatur et temperat, multisque aliis privilegiis et immunitatibus fruitur et gaudet. Pratorem, judicem, præfectos ordinat tribunum et 7 scabinos. Item omnia ad politicam regulam spectantia, uti certas mensuras vini, olei, cervisiæ, salis, frumentorum (mensuras) præscribit. Quare accipit et vectigal, quod mercium nomine mercatores nundinantes pensunt, soli cœnobii Prælato cedit.

Pipinus Crassus anno Dni 698 dedit S. Willibrordo medietatem fisci Epternacensis et cœnobium in sui et hæredum suorum mundiburdium sive protectionem suscipit, atque illud ab omni advocatorum jugo liberum sub manu solius Dei esse voluit.

Alteram partem fisci Epternac. addidit Regia Virgo Irmina cum omni integritate. Unde evincitur Abbatem esse verum supremum et legitimum Dominum civitatis Epternacensis, item Ecclesia parochialis, quam multarum capellarum matris, D. Willibrordus consecravit, Abbas est perpetuus pastor. Facta est autem donatio S. Irminæ anno Dni 698.

Arnulphus dux donat castrum et villam Bollendorff anno Dni 716. Idem confirmat Carolus Martellus anno 718. Pipinus Francorum rex, quem baptizavit S. Willibrordus, remittit Ecclesiæ Epternac. theloneum in omni regno suo et donat Croniam ad petitionem Adalberti Abbatis anno 752, regni sui anno 3°.

Carolomannus, filius Pipini, confirmat donationem patris anno 803.

Carolus Magnus recipit monasterium in Cæsaream defensionem, et donat villam Dreis anno Dni 809.

Ludovicus pius theloneum per Imperium relaxat, et confirmat immunitatem à genitore suo, Carolo et avo Pipino concessam anno 819.

Inventolaus rex omnes præcedentes donationes confirmat, et ad victum fratrum assignat villas Steinheim, Kersch, Eppeldorff, Bollendorff, Ertzer, Meckell, Gladbach, Uffingam, Croniam, et cætera, anno Dni 895.

Idem præstitit Carolus, Ludovici secundi filius, anno 915.

Otto primus Imperator restituit monasterium et in suum mundiburdium sive tuitionem Ecclesiam Epternacensem recipit, multaque ~~ei~~ prædia eidem contulit anno Dni 974 Magdeburgi.

Otto secundus confirmat privilegia et statuit, ne ulla persona tam laicalis quam clericalis cœnobio Epternacensi præsumat inferre violentiam anno 980 aquisgrani.

Otto tertius permittit Abbati Epternac. percussuram numismatis anno 992. Idem multas ecclesias confert anno 993 in civitate aquisgranensi, sicut et alia prædia Guddingen, Bergh, Blidheck, Wunderheim anno 997 assignat.

Henricus secundus confirmat liberam Abbatis electionem, et donationes ab Ottone 3° factas anno 1005 Treveris. Idem eximit monasterium ab omni potestate tam sæculari quam ecclesiasticâ anno Dni 1023 Novesii.

Henricus 3tius curat fiscum injuste ablatum restitui anno 1040. Idem ratificat immunitates et exemptiones Monasterii; et quod nulli advocati sint statuendi nisi de consensu Abbatis. Anno 1056 Goslariæ.

Henricus quartus, quicquid usquam per reges et imperatores sive Duces, vel Christi fidelis in quocunque pago vel comitatu abtulerunt Epternac. Cœnobio totum approbavit. Anno 1065.

Lotharius tertius dedit privilegium de viâ navali liberam navium cursum et recursum, et fluvio Sura dilatando ad 24 pedum latitudinem. Anno 1331.

Henricus 4tus privilegio concessit de piscationibus et aquis, aquarumque decursibus; et monasterium sub manu solius Dei esse. Anno 1192 Wixtrenhoria.

Adolphus rex Romanorum investit Abbatem Epternac. regalibus et mandat ut omnes Vasalli et Subditi Feudatarii ei obediant.

Albertus Romanorum imperator confirmat omnes immunitates et privilegia à praedecessoribus suis indulta. anno 1299. Pinguitiae, et nominat Abbatem Imperii principem.

Carolus quartus confirmat privilegia anno 1347. Idem dat Census et Exactionis sua Eptern. Clarissis in 4 maioribus salvo jure praelaturae Eptern. anno 1349 Pragae. Idem mandat Vasallis, Officiatis, Scabinis et Civibus Epternacensibus, ut Abbati, cui regalia contulerat, in omnibus plenarium morem gerant 1347.

Idem Carolus ratificat omnes immunitates Monasterii Eptern. 1353. Wenceslaus Romanorum rex investit Wericum Abbatem anno 1379, et confirmat privilegia anno Dni 1384.

Sigis mundus imperator nominat Abbatem s. Willibrordi speciale Imperii romani membrum et investituram confert Abbati Nicolao anno 1414 Confluentiae.

Fridericus Romanorum Imperator confert Regalia Abbati Winando anno 1442. Et in nona civitate idem praestat Abbati Colino 1466 cum confirmatione privilegii.

Maximilianus senior confirmat omnia privilegia praedecessorum anno 1512.

Idem praestitit Carolus quintus 1524. Idem Ferdinandus secundus. anno 1627 Viennae 16 Septembris.

Philippus quoque, Rex Hispaniarum, se inhabitatum Monasterii Willibrordini Eptern. protectorem agnovit. Anno 1503, 7 Dec. Bruxellis.

Wenceslaus Dux Luxemburgi recognoscit se praeter jus advocatiae nihil obtinere in Ecclesiâ Epternac. anno 1369. Idem mandat suis Officiatis, ne Ecclesiae Epternacensis jura violent.

Wenceslaus rex Romanorum fatetur se advocatum Ecclesiae Eptern. Idem testatur Carolus 4tus et Otto tertius de Ligrifido 1o comite Luxemburgensi.

Ditherus, Comes Cattimelibocus vocat se supremum Ecclesiae Eptern. advocatum.

Ladislao Hungariae regi recusant universi Ministeriales, Vasalli, feudatarii, Scabini et Cives Epternacenses homagium praestare anno 1452, sed adhaerunt se ad fidelitatis juramentum teneri Domino Abbati Epternac.

Longum nimis esset, ut recensere bullas summorum Pontificum; et in eis anathematisationes, imprecationes, excommunicationes et censuras ecclesiasticas in violatores jurium Ecclesiae Eptern. fulminatas. Idque pro caeteris praestiterunt Victor 4tus anno 1161, Joannes 22us anno 1446, Martinus 5tus pontificatus sui anno quinto, Urbanus 6us anno 1338, Honorius 3us pontificatus sui anno 8o, Eugenius 3us, Innocentius et plures alii. Specialiter vero Alexander 3tius

† Joannes XXII Pontificatus sui Decimo tertio,

confirmat Abbati Reginberto varias Ecclesias, concedit usum mitrae et sandaliorum, facultatem praedicandi, baptizandi, ligandi, solvendi, excommunicandi et cat. Anno Dni 969.

Sed ut ad Epternacum redeamus, postquam locum sacrum per 109 annos inoluerant monastica vitae cultores, Canonicorum colonia Epternacum est deducta, et ad 125 annos ibidem id vivendi genus perduravit. Atque hac annorum intercapedine elapsa, mutua vicissitudine, Monachi Clericis subrogati fuere. Visum enim Ottoni magno monasticen ab exilio revocare, et pristinis propriisque indigenis ac primigenia Religioni restituere domicilium.

Igitur Ratangerus, anno Christi 974 quadragesimo Monachorum Archimandrita institutus, veteres religiosorum excolere ritus legesque s. Benedicti exercere coepit magnaque principum Ottonum gratia felix et longaevus rem monasterii tam in temporalibus quam in spiritualibus in eminentiam extulit. Ab hoc tempore regularis observantia multum reflorescere coepit, ita ut coenobium Eptern. Sepola s. Benedicti diceretur et esset.

Quin et Sancto Imperatore Henrico, cum Hercules, quondam monstrorum domitore, passim profligatis nequitiae pestibus, s. Popponis Abbatis Stabulensis consilio, Epternaco Humbertum coenobitam Maximinianum vitâ et moribus conspicuum praefecit, qui structuram templi ab praedecessore suo Troloo inchoatam consummavit, et per Popponem Archiepiscopum Trevirensem anno Domini 1021, 14 Cal. Novemb. solemni ritu consecravit ~~fecit~~ curavit.

Istius Humberti tempore, S. Pontifex Leo nonas natione germanus rogatu Eberardi Hetzelini, Comitis Palatini, filii Archiepiscopi Trevirensis, in Albmanniam venit, ubi cum Moguntiae praesentes s. Henrico Imperatore cum 42 Episcopis synodum celebrasset, Treveros descendit et inde Epternacum veniens in Basilicâ noviter constructâ, diversas Capellas et Altaria in propriâ personâ consecravit.

Jam ut nonnihil de pagis quatuor Maioratuum Praepositurae Epternacensis edisseramus, compertum est, easdem, multo retro saeculis, antequam Clarissarum institutum coperit, monasterii Willibrordini usibus cessisse: ut patet ex testamentis, diplomatibus et donationibus S. Willibrordi, ~~qui anno Christi 698~~ (vide pag. 11 bis -) qui anno Christi 698

Familiares existêre S. Willibrordo S. Swibertus, S. Wigfridus, S. Wulfrannus, ss. Ewaldus Albus et Niger, S. Adalbertus, S. Wigbertus, S. Willibaldus, S. Winibaldus, S. Lambertus, S. Hubertus, S. Cuniberthus, S. Lutwinus, S. Pacinus, S. Modoaldus, S. Willehadus, S. Otgerus levita, S. Marcellinus, S. Lebuinus, S. Ingelmundus, S. Plechelmus, episcopus de candidâ massa vel secundum Bedam de candida casa, S. Acca, S. Wiro, ~~et Jumingo, S. Marcelli~~, S. Swibertus alter, S. Wiro, Deirorum episcopus. 25 Sancti.

Sanctæ: S. Gemma, S. Modesta, S. Anastasia, S. Herlindis, S. Bernaldis, S. Cunera, S. Walburgis, S. Amelberga, S. Landrada, Sequentur S. Willibrordi in prædicatione Evangelii socii.

Anno 690 Pontificatûs Rom. P. Sergii 3tio, imperium tenente piissimo Imperatore Justiniano, in Angliâ provinciâ Nortumbrorum Alfrido, in Franciâ Theodorico rege, Pipino, primo Majore domûs, mittitur S. Willibrordus â S. Egberto Episcopo Eboracensi, in Frisiam fidei propagandæ gratiâ cum undecim sociis, quos ex diversis S. Benedicti Monasteriis selegerat. Qui fuêre:

Primus S. Swibertus, qui posteà consecratus est Episcopus et â S. Wilfrido episcopo Merciorum, anno 695, et Trajectensem recuit Ecclesiam usquè ad reditum S. Willibrordi Româ, posteà Frisia, Hollandia, Westphalia, Teisterbandica, imò et Saxonia Apostolus factus. De miraculosâ ejus nativitate sic refert S. Marcellinus apud Surium. Tempore quo Sanctissimus Martinus Papa in Apostolica Romanorum sede præsidebat, et universam Ecclesiam orthodoxæ fidei feliciter gubernabat, ac Constantinus sive Constans, qui avo suo felici Heraclio imperatori in Rom. imperium successerat, gubernabat, atque gloriosus et inclytus Osvinus Rex frater S. Oswaldi Regis et Martyris sceptra et regna Angliæ divinâ providentiâ auspicabiliter gubernabat, scilicet anno â nativitate Dni 657. In Angliâ, in regno Humbrorum, quod est ad aquilonarem Humbri fluminis plagam, ubi gens habitabat cum Rege suo, erat quidam Princeps, Comes de Northringra, Ligebertus nomine, ex spectabili stemmate, nativitate excellentissimus, miles strenuus armis et industriis, habens conjugem quamdam devotam et ingenuam fœminam, nomine

Bertam, ex nobilissimis et splendidissimis Anglorum Principibus propagatam: cujus mater Astrida, cujus pater Edilredus, cujus pater Ostius, cujus pater Eugistus, â quo Paritcennia Anglia appellata est. Iberta verò, piâ et nobili Comitissa, videns multorum principum et militum filios in Episcopos et Abbates qui anglicanum populum Domini noviter conversum in fide confirmabant, sine cessatione diès assiduabat in orationibus et eleemosynis, petens â Deo talem sibi filium dari, qui jugiter in templo serviret. Dominus, qui velox est exaudator humilium, tali eam dignatus est gratiâ consolari, ut vel accepto divinitùs mirabili oromate nasceretur ei tandem puerulus Swibertus, appellatus nomine avi paterni, comitis de Orlingam.

Secundus S. Acca qui Episcopus Lindarfarnensis â S. Wilfrido, Episcopo Merciorum, unâ cum S. Swiberto ordinatus anno 695. Ibidem usquè ad mortem talentum sibi concreditum fideliter dispensavit.

Tertius S. Wigbertus monachus Ripensis, qui â Radbodo martyrii coronam est adeptus in Flandriâ, quorum S. Willibrordus evangelisandi gratiâ diverterat.

Quartus Willibaldus, filius S. Richardi, Regis Angliæ, et frater S. Walpurgis, primus Episcopus Anastadensis, qui et Orientalem Franciam suâ doctrinâ illustravit.

Quintus S. Winibaldus, ejus frater Abbas Haerdenehemensis ordinatus est, ad quas terras missus fuerat â S. Willibrordo.

Sextus S. Lebuinus, ex monasterio Ripensi, Episcopus ordinatus, apostolus Transiselanorum, egregius animarum relator, post multam toleranticam et populorum conversionem martyrio coronatur.

Septimus et octavus duo Ewaldi, Albus et Niger, monachi ripenses, apostoli antiquæ Saxoniæ, quæ nunc Westphaliâ dicitur, ubi et martyrio â paganis coronati, ad quorum corpora in amnem conjecta per 40 fere millia passuum (dignum meritis præmium) lux de cœlo coruscavit, quosunque perveniebant, donec Sylmoni cuidam, viro illustri et de inclito monasterio facto, per somnum revelata: et mediante istâ luce Pipinus junior cognomento Crassus, qui etiam Heristallus appellatur, ad se deferri jubens Agrippinam Ubiorum cum multâ gloriâ in Ecclesiâ S. Cuniberti condidit. Et fuêre anno Jubilæi 1639 sacra eorum corpora, aureo feretro inclusa, in celeberrimâ ejusdem urbis processione cum cæteris reliquiis circumportata. Estque

Dies passionis vel inventionis adhuc vivente S. Willibrordo solemniter celebratus. Fertur quod in loco, in quo occisi sunt, fons ebullierit, qui usque hodie copiosa fluenti suis dona ostendit.

Nonus S. Werenfridus, monachus ripensis, Bataviam à S. Willibrordo missus novellum Christi populum in Elst et Westernoort in finibus illis feliciter rexit, et infinitis miraculis clarificatus tam in vitâ quam in morte, Idibus 7bris in Westernoort spiritum Creatori reddens, miraculosè in Elst tumulatur.

Decimus S. Marcellinus, presbyter, à S. Willibrordo missus ad partes Transiselanas, Aldenzel, Trente, et Twente, ac Daventriæ 70 ferè annis Christum constanter annuntians, propter decrepitam tandem ætatem à S. Gregorio Episcopo ad conventum Trajectensem, ubi priùs sub disciplinâ S. Willibrordi degerat, est revocatus. Plenus tandem dierum et miraculis clarus obiit in Aldenzel, et Daventriæ in Ecclesiâ cathedrali sepultus.

Undecimus B. Willehadus, vel Willhardus, ex monacho Epternacensi primus Bremensium Episcopus.

S. Adalbertus levita, filius Edilbaldi, sive Edilwaldi, Regis Deirorum, neposque S. Oswaldi Regis et martyris, cujus filius erat Edilhaldus rex, monachum egit in cœnobio Epternacensi sub S. Willibrordo, cujus primus Archidiaconus in Ecclesiâ suâ Trajectensi fuit; post multorum tandem paganorum conversionem et laudabilem vitæ suæ consummationem in Egmundâ, Hollandiæ oratorio, quod ipse construxerat, miraculis clarus, 7mo ~~et~~ Cal. Julii sepultus.

Monasterio Epternacensi noviter à se fundato legat villam Erlle, super fluvio Prumia sitam; S. Irminæ quæ confert S. Willibrordo anno 698 Osweiler, item ~~Lin~~ Steinheim;

Arnulfhi ducis, nepotis Pipini Hercistalli, qui anno 716 contulit Bollendorff;

Caroli Martelli, filii Pipini Crassi, qui idem præstitit anno 718;

Berengaudi Præpositi Epternac. qui anno 786 Lauterborn transcripsit;

Inventibaldi Regis, qui anno Dni 895 pagos Bollendorff et Erentzen ad instantiam Radbodi Abbatis Epternacensis confirmat; quod

Idem præstitit Carolus simplex anno 915.

Ea his liquet, ditarum Moiorariarum, quas Clarissæ in jus vocant, verum et indubitatum Dominum esse Abbatem Epternacensem, ac proinde comites Luxemburgenses eas feudi titulo obtinuisse, prout expresse fatetur Wenceslaus Bohemiæ Rex anno 1359 in diplomate ad Abbatem Wilhelmum dato.

Idem Carolus quartus profitetur in testamento fundationis Clarissarum, in quo etiam ait se per erectionem dicti monasterii, neque quicquam religiosis viris Abbati et conventus monasterii S. Willibrordi velle aliquod præjudicium inferre.

Est autem feudum benevola rei concessio pro homagio facta, remanente dominio directo apud feudatorem sive concedentem: ita ut advocatus sive vasallus, non possit tale dominium vendere aut abalienare: alias feudatarius ipso jure cadit feudo. Unde sequitur Carolum quartum nec voluisse, nec potuisse vasallagia illa monasterio Clarissarum largiri, nisi solum quoad usumfructum sive utile dominium: quod tanquam feudatarius ab Abbate Epternacensi feudatore percipiebat.

Unde clarè convincitur per hanc præposteram, et directe contra jura et privilegia monasterii Willibrordini vergentem invocationem, quam Clarissæ conantur introducere, tanto gravius lædi cœnobium S. Willibrordi: quanto antiquius est in jure suo et

possessione dictorum pagorum. Quin et possessio firmat causam Abbatis Epternacensis, cum in dictis Maioriis habeat jurisdictionem fundalem, et mediam, in aliquibus etiam jure hypothecario supremam. Ad eundem spectant bannum, homines, fluvii, pascua, prata, agri, inventum et acceptum, mandatum et arrestum, plaitum, optimale, census, sagina pascualis, decima, collatio Parochiarum et sylva cædua, à radice usque ad summitatem earundem. Possessio quoque firmat causam incolarum, cum usque in presens, bona sua libere distraxerint, impignorarint, hypothecarint et aliis viis abalienarent: nec ullus reperiatur bona sua vendendi, conjugium contrahendi, aut ligna cædendi, à Clericis facultatem unquam petiisse.

Testamentum S. Willibrordi.

In Christi nomine. Oportet Christianos viam veritatis agnoscere, per quam Creatori suo dignè meritis suis servire, ut oblatio eleemosynarum eorum et devotio proveniat ad salutem, Christo summo dicente: Date et dabitur vobis, et: Fruite eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Idcirco ego in Dei nomine Clemens Willibrordus Episcopus, cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata mea possim abluere et donante Domino ad æterna gaudia pervenire. Dono à die præsente, donatum perennis temporibus volo: hoc est ad monasterium Epternacense, quod est constructum super Fluvio Surâ in pago Bedensi. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et SS. Petri et Pauli Apostolorum et S. Joannis Baptistæ et cæterorum Sanctorum, ubi ego ipse Clemens Willibrordus custos vel Gubernator præesse videor, et si Christo placet, corpus meum requiescere debet. Hoc est quod dono ad ipsum sanctum locum Epternacum omnem rem vel villas seu manipia, quæ mihi ingenui Franci pro amore eorum salute condonaverunt vel tradiderunt. Similiter illas res, quas Dominus Pipinus mihi donavit vel delegavit, seu matrona sua Pletrudis, sive filius suus Dominus noster Carolus Major domus, quas res ipsas Dominus Carolus et Genitor Pipinus tam me viventa quam de vitâ migrante mihi pro eorum mercede condonaverunt. Et illas alias res ex parte ego Dominus vel homines qui mihi eas tradiderunt vel delegaverunt: id est, ut hæc solemniter scriptura pro temporum seria confirmare debeat. Et hi sunt homines his nostris nominati: Rohingis mihi donavit vel tradidit Ecclesiam aliquam, quæ est constructa in Antverpo, castello super fluvio Scaldæ, in pago Renensium, cum appendiciis suis villas denominatas his nominibus: Boenvalous, Wamalmaherms, Tulgebarus, et in ipso castello Antverpo tertiam partem de illo thalones. Et Hiberibaldus Clericus mihi condonabat vel tradidit Ecclesiam aliam in pago Marsum, ubi Mosa intrat in mare cum appendiciis suis, et Marsum, unde Barbeires nascuntur. Et Angibaldus mihi condonabat vel tradebat villam, quæ vocatur Wadradath in pago Texandro super fluvio Ontmala. Et Ansbaldus mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in villâ, quæ vocatur Busloth, in pago Texandrio. Et Berethinda, Deo sacrata fœmina, mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in villâ, quæ vocatur Rokangot in pago Texandris. Et Hindricus mihi condonabat in villa quæ vocatur Riplo. Et Engilbertus mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in villâ,

quæ vocatur Hbenesloth in pago Texandrio. Item quod Engilbertus mihi condonabat vel tradebat villam integram, quæ vocatur Aspheimpase in pago Texandris. Item Arnibaldus dictus mihi condonabat vel tradebat villam, quæ vocatur Vicona, in pago Texandrio super fluvio Vigenâ. Et Tietbaldus mihi condonabat vel tradebat Ecclesiam aliquam, quæ est constructa in villâ Mulnam, quæ Hbrazia vocatur, cum appendiciis suis. Et illustris vir Hbeseneus mihi condonabat vel tradebat portionem suam in villâ, quæ vocatur Amistadi super fluvio Wilhes in pago Thuringasnes. Superius nominatas vel scriptas Ego Clemens Willibrordus trado atque transfundo ad illam casam Dei sæpius nominatam Epternacum, vel ad illam sanctorum congregationem fratrum ibidem deo servientium, eâ verâ ratione, ut quidquid de iisdem rebus superiùs nominatis facere decreverunt, in omnibus habeant potestatem faciendi, ut et ibidem omni tempore pro nostrâ mercede vel Seniore nostro Carolo Majore domus, seu eorum hominum qui mihi suas res tradiderunt.

Et illud nobis placuit insérendum: Si fuerit ullus de hæredibus meis, seu quælibet opposita persona, seu extranea seu judiciaria potestas, quæ contrà hoc testamentum vel donationem meam, quam Ego Clemens Willibrordus episcopus sanâ mente plenoque consilio et devotione integrâ fieri jussi, venire, aut agere, vel eam infringere voluerit, etsi ea Carta adeam legendam fuerit præsentata, et sibi ipse compescere noluerit, imprimis iram Dei Omnipotentis incurrat et sanctorum Angelorum, et ab omnibus Ecclesiarum vel consortis Christianorum efficiatur extraneus, vel habeat partem cum Judâ qui Dominum tradidit, et cum Dathan et Abyron quos terra vivos deglutivit. Et insuper inferat una cum socio Fisco auri libras decem, argenti pondo quinquagintà coactus exsolvat, et quod reperit evindicare non valeat.

Actum a. 6. regnante Theodorico rege.

WILLIbrorDVs epIsCopVs FrIsIa e VIVIs abIIt.

Incidit ejus mors in septimum diem Novembris qui erat ex anno diei sabbati. Sepultus est in Monasterio Epternacensi à se condito, cui tanquam primus Abbas præfuit: præcipuis viris charus donaria ei certatim offerentibus, quæ omnia in pios usus expendit. Ultrajecti

monasteria fundavit S. Salvatoris et S. Martini, quò post mortem translata fuit sedes episcopatûs. Treveris Ecclesiam S. Mariæ convertit in monasterium S. Benedicti, ubi ejus altare portatile asservatur. Vivens miraculorum gloriâ fulsit. Foola confringens, gladio percussus non læditur. Oratione fontem in arido loco excitavit. Lagena, bibentibus ex eâ 12, non minuitur. Oratione et immissione baculi vacua vasa implet. Modiùs vino 40 viros satiat. Aquâ benedictâ Dæmonem è domo fugat. Eâdem aspersâ, pestem in monasteriis Trevirensi extinguit. Nec minori gloriâ ejus sepulchrum est decorum. Ad ejus tumulum S. Milchiadus primus Episcopus Bremensis Spiritum Episcopatûs accepit ad Saxones. Celeberrimus ejus cultus ante nostra civilia bella fuit in Ecclesiâ Ultrajectinâ.

Pour copie conforme d'un vieux manuscrit anonyme et sans date qui se trouve actuellement entre les mains de M. Fisser, président au Séminaire, et qui provient des archives de la ci-devant Abbaïe d'Echternach.

Luxembourg 21 Avril 1847.

Engling